

jussu Præsidis ejusdem Univ<sup>ts</sup> majore uti tempore. En nonnulla quæ ibi descripsi maxime singularia . . . . .<sup>1)</sup>)

Non sufficerent plura folia si reliqua observata mitterem. Jam Londini dego et per aliquot dies ob faciem tumefactam domi hærerere teneor. Quamprimum restitutus fuero civitatem relinquam. Interim si me literis honorare velis, dirige eas, precor, tali modo: To Mr. Brünnich to be left at Mr. Claus Heyde in Well-Close Square. inde ad me di . . . . .<sup>2)</sup>)

Leydæ nulla sunt musea piscium, præter Gronoviana & Museum Lugdun: quod pauca continet. Alia sunt heic et ibi apud privatos sed omnia difficile describuntur ab aliis nisi eis qui per annum et longius collectores frequentare possunt. Spero Dn. Pallas descripturum fore quæ in hac reliqua animalium parte Belgi possident.

Director Musei Principis Hagæ Com. est sane inter stultos contemplatores; ignorantia ejus svadet invidiam, hinc noluit me ullum aliquod in hoc museo ornatissimo annotare, causam dixit quia ipse ea evulgare conabatur. Dolendum quod hæc sacra stupidissimo & maxime ignaro huic sunt concedita.

Museum Britannicum et alia Londinensia vidi aliquoties sed licet sunt magna multa tamen heic desunt quæ inter manus sunt Belgorum. Devotissima Dni. Ellisii & Solander tibi annuntiam. Viri isti maximam merentur æstumationem. Gaudeo me jam invenisse unum maximorum tuorum discipulorum, cujus doctrina simul et favore in me maxime lætatus eum. Si veniam Præsidis Universitatis Hafn. acquisitus fuero, Hispaniam proximo anno et inde per mare mediterraneum Italiam visitabo. Tuum de isto itinere consilium simul et commendatorias literas ad Hispanos mihi expeto. Me in eo ut in reliquo itinere habebis paratissimum. Vale Vir Gene-

1) Her følge to Foliosider Beskrivelser af enkelte Arter af alle Dyreclasser, tildeels ledsagede af Pennetegninger.

2) Slutningen af Ordet er afrevet.